

Vc
5154





Q. B. V.

Fasces Summos Imperii

auspicatissimè capeffentem,

SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM
PRINCIPEM AC DOMINUMDN. JOHANNEM
GEORGIUM III.SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MON-
TIUM DUCEM, S. R. I. ARCHIMARESCHAL-
LUM ET ELECTOREM, LANDGRAVIUM
THURINGIÆ, MARGGRAVIUM MISNIÆ,
UT ET SUPERIORIS AC INFERIORIS LUSA-
TIÆ, BURGGRAVIUM MAGDEBURGI, CO-
MITEM PRINCIPALIS AXIOMATIS HENNE-
BERGICUM, COMITEM MARCÆ, RAVENS-
BERGI ET BARBY, DYNASTAM IN
RAVENSTEIN, &c. &c. &c.DOMINUM SUUM
CLEMENTISSIMUM,

Panegyrico hoc

ANNO ¹⁶⁰⁰ MDLXXI. VI. EID. FEBR.

IN TEMPLO AD ARCEM

EX MEMORIA DICTO,

*subiectissimè veneratus est*FRIDERICUS WILHEL: à BEICHLINGEN,
EQVES TURING.

WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



SERENISSIMO. AC. POTENTISSIMO.
PRINCIPI. AC. DOMINO.

DN. JOHANNI.
GEORGIO. 

SAXONIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ. AC. MON-
TIUM. DUCI. S. R. I. ARCHIMARESCHAL-
LO. ET. OCTOVIRO. LANDGRAVIO.
THURINGIÆ. MARGGRAVIO. MISNIÆ.
NEC. NON. SUPERIOR. AC. INFERIOR. LUSA-
TIÆ. BURGGRAVIO. MAGDEBURGI. CO-
MITI. PRINCIPALIS. AXIOMATIS. HENNE-
BERGICO. COMITI. MARCÆ. RAVENS-
BERGI. ET. BARBY. DYNASTÆ. RA-
VENSTEINII. &c. &c. &c.

MAGNO. FELICI. AUGUSTO.

DOMINO. SUO.

CLEMENTISSIMO.

OB. INCLYTA. IN. SE. COLLATA.
BENEFICIA.

ARCUM. HUNC. TRIUMPHALEM.
DEVOTO. MENTIS. CULTU.

ERIGIT.

AC.

FIRMUM. SANCTUM. ÆTERNUM.
IMPERIUM.

VOVET.

Subjectissimus.

FRIDERICUS. VVILHELMUS. A. BEICHLINGEN.
EQVES. TURINGUS.

RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,
JOHANNES ANDREAS
QVENSTEDT,
QVEDLINBURGO - SAXO,
SS. THEOL. DOCTOR, PROF. PUBL.
ET ELECTORAL. ALUMNORUM
EPHORUS,

CIVIBUS ACADEMICIS

S. P. D.



Quod cum auspicio felicioris,
quem ingressi nuper sumus, Anni, prospere
fortunatumque esse jubeat cœleste Nu-
men, salvus ad nos suos venit SERENISSI-
MUS AC POTENTISSIMUS SAXONIÆ PRINCEPS,
JOHANNES GEORGIUS, TERTIUS,
DOMINUS NOSTER CLEMENTISSIMUS,
incolumemque non modò ex Daniarum Regno reducem
amplexus CONJUGEM EMINENTISSIMAM, ac
FILIORUM PAR, divina pignora, plenissimo per DEI
indulgentiam vigore animorum pariter ac corporum adspe-
xit, sed & solenni sacramento adigere Ordines in fidem & ob-
sequii religionem destinavit hodiè. Quamvis autem nemo


no-

nostrum, quid Herois tanti debeat majestati atque reverentia, ignoret temere; non tamen non eximiis vehendum laudibus est Generosi & ad inclyta solidioris eruditionis ac prudentiae exempla contendenti Juvenis, DN. FRIDERICI VVILHELMI à BEICHLINGEN, EQVITIS THURING. ex praecipuae Nobilitatis oriundi antiquissimâ prosapia: dum & obsequii religione, & salutis publicae ingenti pondere permotus, Summo PRINCIPi de imperii solenniter susceptis fascibus devotè gratulabitur ad crastini diei horam IX. matutin. Oratione eleganti, ex memoria, in Templo ad Arcem Cathedrali, veniâ à Nobis impetratâ singulari. Quantum scilicet ex obitu Parentis sacratissimi concepimus dolorem nuper, & ante menses aliquot testati sumus in atratâ cathedrâ eadem; tantum nunc lætitiæ, ex auspiciis imperii in Filium AUGUSTUM derivati, capimus. Nam quod in piissimo Patre planximus amissum, hoc in felicissimo Hærede Nos feliciter recuperare posse, spe ac expectatione recreamur maximâ; quæ jam tum castigavit meticulosas plurium suspensiones. Sacro in Basilicis divinis delibuti oleo, in primis Reges, populo sistuntur. Sistit se ELECTOR, Regibus non impar sanctione Carolinâ, Corpori Academico, Equitibus, Senatuique civitatis hujus, subditis deinde universis, ut religioso fidei obstringat omnes vinculo: Regimini inauguratur novo votis, precibus, ac cerimoniis; quidni & acclamationibus? Hi nempe ritus gaudii non modò exhibent testificationem, sed magnarum quoque rerum in se simulacra continent. Adeste igitur, dilecti CIVES nostri, convolate ad hæc sacra, quorsum & BEICHLINGIANA pertinet Oratio; rogate Regum Regem obtestationibus devotis, ut Vicarium in his terris suum pietatis, sapientiæ, justitiæ ac clementiæ amore impleat constanti.

P. P. DOMINICA SEXA-

GESIMÆ Anno Salutis reparatæ

CLo Ioc LXXXI.



SERE-



SERENISSIMI PRINCIPES.

MAGNIFICE DN. RECTOR,

*Illustres & Generosissimi Proceres, Patres Academiae Conscripti,
Patroni atque Praeceptores observandi,*

*Tuque Nobilissima, Florentissimaque Civium
Corona.*



Vanquam mos omni ævo vetustissimus gentium hic fuerit, ut vel Magistratu lecto, vel creato Rege, vel alio mutatâ casu Republicâ, stipulatum obsequium conceptis votis conferrent subditi, omninò malum videremur nomen, si isto vellemus soli omnium supersedere. Probrosum etiam existimari posset, à naturæ superari genio, quo, ubi cœlum ridet, accenduntur

A

tur

tur universa, indeque voluptas incredibilis per
corpora mirâ celeritate se diffundit. Ut plura di-
cam: Injuriarum rei apud DEUM, apud Prin-
cipem profectò haberemur, si, quantum mate-
riæ se dat in præsentia ad manum, minor gaudii si-
gnificatio existat. Quo circa religiosissimè id
fieri par est, gratiasque rerum auctori agere, no-
vum qui Rectorem regionum harum primùm
educavit nobis, ac præfecit. Verùm tanta ab
utroque latere nos obruit lætandi æquè ac di-
cendi copia, ut, quam ego primam in tam gran-
di mole expediam partem, aut quæ lecta satis
verba ponam, penitèns ignorem. Nam cultu
excellentissimo, qui placere cupit, insignis sit,
oportet, ne sordido squalore tædium intuituro
moveat. Solent in luculentam instructamque
tabernam delati, singulas merces, quæ operis po-
tissimùm eximii sunt, optione suspensi pererra-
re, & æquâ stupere artificum varietate, quæ pau-
latim ex multis eligendi commodissimas, atto-
nitis adimit facultatem. Ego verò, qui & ritu
inveterato, & pietate incitatus venio gratulatū,
Principi AUGUSTO, impediōr & imbecilli-
ta-

tate, & dicendorum numero, & multo plurima
silentio venerari cogor, omnia quippe sunt ma-
xima, neque facundiâ exili digna. Ne pro-
dam tamen silentio quædam religionis & officii
frigora, adnitar studiosè. Quùm autem sermo
nec lepore suo, neque venustate gloriari possit,
simplicis reverentiæ obsequio tuam, DOMI-
NE, merebor gratiam, quam sempiternâ, quo-
cunqve locatus terrarum angulo, memoriâ sum
adoraturus, nec istam animo religiosiori ullo
tempore passurus sum elabi.

EXCELSI salvetè DUCES! Vos sidera adoro

Bina simul, vestro ut foveatis lumine servum.

*RECTOR MAGNIFICE, atque hujus pars
maxima Pindi,*

*Insignes Virtute VIRI, PROCERESQUE PA-
TRESQUE*

Totaq, quot CIVES hic estis, Concio clara,

Quæso, favete animis, Et dicta capesite nostra!

Quanta torpedo nostros oppresserat animos re-
lato Divi Genitoris obitu, quanta nos prostra-
verat ferali numero, quanta sensus omnes obstu-
pescerat formido, tanta, PRINCEPS opti-
me, in successione Tuâ animos lugubres extemplò
erexit; ut, quæ majus nobis & virtute, & ge-

nerè pariter illustrem nactis, quàm amissi fuit,
tristitia, recuperati gaudium impertivit. Nunc
jam desierunt Parentis Maximi ruinam manes fa-
cere, instaurato abs Te iterum imperio, quem
ad dubia tempora reservatum, magnis rebus
Creator dicavit. Te, qui nos infortunii obli-
viosos facis, immunem hæctenus præstitit à ma-
lis; Te eodem semper vigore, eodem robore ar-
mavit. Hostium circumcircà vagabantur co-
piæ, enecabantur fame lueq; homines, cadave-
raqve tetro foetore integrorum contagium ma-
turabant, & Tu nunquàm non valuisti rectè, sal-
vusq; fuisti, ut Tuis satisfacere partibus potue-
ris. Captasti cum prudentibus consilium, ut
regiones securæ essent, accurasti cautiùs, super-
fluaqve derogasti stipendia, quæq; Patris sunt
ad Tuas partes transtulisti. Conficere eapro-
pter perge cæptum opus fortiter, nec animum
deemitte, nec despera sortem. Promove
salutem subditorum ut cœpisti, quâ, tales si actus
secutura ætas deprehendet, majorum nemo an-
teferendus Tibi, paulò ex coævis putandi pares.
Et verò accurante Numinis providentiâ vide-

tur

tur factum, ut, quem haud illa pridem e conspe-
ctu nostro sustulit Principem, qui pius, qui ju-
stus, qui pacificus audivit, eundem & fortem,
redderet & strenuum. Quâ voce? Quo gestu
declaremus latitantem animi lætitiã? Qui ti-
tuli Virtutum magnifici satis? Recondita existi-
matio plus penetrat, quàm verborum laxa sva-
vitas. Postquam autem in tantam erupimus
audaciam, imperare mihi haud possum, quin de-
lectationis sensu intimæ afficiar. Corpus ve-
getum & succi plenum, ætas firma, regimen
quæ auspiciatus annosam istius seriem auguran-
tur, non fastidientem labores, nec molestam
aliis, sed agilem, sed pronam ad motus, sed gna-
vam. Magnum est, **PRINCEPS ELE-**
CTOR AUGUSTE, magnum fanè est,
in eo constitutum Te imperare fastigio, quo ul-
tra septem alios haud ulli propè siti, majus ta-
men diuturni in tanta altitudine decoris sperare
fructum, maximum verò divinâ prole geminâ
stipari, ut præmium matrimonii, ut remunera-
tio laborum esset, ut fœdus stabiliretur thori.
Exinde ad nos solida felicitas reduntat, exinde

B

fi

si quid acciderit aduersi solabuntur Cives ; utpo-
te qui rate vehuntur Castorum exortu , hilares
illicò evadunt , ac derident tempestates. Ean-
dem nobis opem , easdem suppetias promitti-
mus, quamdiu par fratrum illustrissimum mora-
bitur in vivis. Fortes creantur fortibus, & ge-
nerosis in eqvis est patrum Virtus , nec imbel-
lem feroces columbam aquilæ progenerant.
Quantum itaque PARENTI EXCEL-
SISSIMO debemus , quantum obstricti
tenemur GENETRICI HEROINÆ ;
utriusqve exquisitâ curâ nunc præsentem sta-
tum fortunatè usurpamus. Omnis ætas , sexus
omnis , & omnes ordines exultent , ovent , at-
que triumphent : incitet alius alium , nec quis-
quam seigniùs gaudeat ; contendant omnes ac cer-
tent invicem , & qui nos amat impensiùs, effusiùs
etiam lætetur, ut, quot in sublimi PARENTIS
collocati fastigio sunt , tot Dominos clementes
summâ animorum observantiâ colamus. Sed
quo me abripit dicendi æstus ? ignosces loqua-
citati meæ SERENISSIME ELECTOR,
quæ tamdiu Tua prædicare ornamenta hæsitavit,
vit,

vit, magnanimo sobolis mirandæ spiritu attoni-
ta. Hæc, hæc illa cœli sunt Deposita, con-
credita his terris, hæreditario Regnorum jure,
non omninò destituta pignora. Pro quorum
salute sempiternâ votis venerabimur divinum
Numen, uti crescant, uti adolescant annis, sapi-
entiâ & virtutibus eminentissimis! At verò ipsi
quæ auctoritatem afferunt, reor etiam Tibi face-
re, qui virtutis exemplo progeniem docuisti, fe-
roce aggreffiens hostem, lætis Batavorum
pascuis infestum oppidisq;, qui tanto belli turbi-
ne excitato, in Germanos demum, quorum au-
xilio opportunò impeditus, quò minùs se latiùs
effunderet, sævire coepit. Hic per geminum
propè lustris spatium Flandriam tanti ardoris
mercedem, Brabantiam victoriæ præmium,
Hannoniam, Burgundiam Lotharingiamq; sibi
arrogavit. Circa Alsatias armis finiendam per-
misit litem, quæ plurimos Germaniæ Principes
discrimini tanto immiscuerunt, communem Pa-
triæ ac libertatis hostem depulsuros. Sed initio
præcipuâ Myforum Saxonumque hujus expe-
ditionis laus fuit atq; gloria, milite afflictis nu-

meroso opitulantium, belliq; apparatu, qvi cha-
rissimum etiam suarum regionum pignus, Te
DOMINE paterni decoris hæredem dimise-
runt. O animum ad defendendam rem publi-
cam promptissimum ac imperterritum! O ma-
gnanimam Principis indolem! cui generosos sub-
inde motus Sanctissimum inspirasse Numen
credam firmiter, à quo oriundi tales, principem
si quando vel facinoribus adhibiturus magnis, vel
propediem admoturus ad imperium. Exti-
marum gentium venerationem in promptu ad-
esse oportet, quæ onera subditorum ac collatio-
nes, ferendas imperat ipsis, ad erogandas in-
sumptus ac stipendia pecunias faciles, ad susten-
tandas copias officiosos præparat. Omnia
prona ad eum se inclinant. Quid mirum? si
Rheni & Nicri direpta proles, ut præfidiis ejus
firmaret mœnia, nostri Herois consensum vene-
rabunda ambierit, si Franconia atqve Svevia ad
alimoniam necessaria pependerit. Quo auxilii
desiderio, quibus sumptibus præsens regiminis
fastigium, æquo à civibus suis aliquando adoran-
dum obsequio sublevandumq; vaticinabantur.
Atqui

Atqvi habemus jamjam effecta, quæ tunc in factis fuere. Sedet ad gubernacula JOHANNES GEORGIUS III. demortui dudum Avi vera effigies, in quâ mors quicquid eripuit nobis, Creator rerum reddit cumulatius. Erat iste omnibus ingenii dotibus artibusqve animi, quibus DEUS maxima imperiorum culmina exornavit unquam, instructissimus Princeps. Hic Avo optimo nil deterior nepos haustas cum origine primâ statim virtutes ejus in firmam consuetudinem adoptavit, promovit, roboravit. Illa excelsæ mentis magnitudo, illa DEI reverentia, illa prisca fides, æqvè Nostri pectus cohonestat, pariq; robore excellit. Nec usque adeò quietis deest studium, congenitum à Divo Parente, qui nunquam præbuit occasionem belli, sollicitatus difficulter iniit, privatæ ac publicæ securitatis vigilantissimus Custos. Quare solus repertus, qui, quod armis intentatum ceteri Principes lucrum perdiderunt, id alto pacis otio venatus. Nihil eum blanditiæ fortunæ arridentis, nihil illecebræ moverunt, ad quas invictus semper stetit. Inter tot virtutum prodigia à Paren-

C

te

te ornata plurimum, Avoq; olim adamata, edu-
catus JOHANNES GEORG. III. non er-
rare potuisti. Sed mens candida similiter & spe-
ctata gravitas cum fortitudine, quæ olim in Ar-
minio eluxere ac Maraboduo, adscita mansit; à
quibus certum in arduis auxilium, consilium in
dubiis, in adversis remedium sibi Cives spon-
derunt. Eadem profundæ rationis facultas se
ostendit, eadem manuum promptitudo, eadem-
que gliscit fama, eadem felicitas expectatur,
quantam vix utrisque debemus. Ad summam:
Natura fortunaq; ambrosiam invicem operam
commodarunt, ut quæ singula ceteris disperti-
verunt beneficia, omnia simul in Te congererent.
Enimvero fuerunt semper in regnis provisæ divi-
nitùs Principum dotes, & alternæ occulti fati le-
ges definitæ. Romam vi & armis condidit, qui
primus ibi rerum potiebatur; Numa jure eam, le-
gibus ac moribus erudit, Hostilio Tullo Re-
ge, tum valida, tum temperata & belli & pacis
artibus erat civitas. Quæ verò melior nativi soli
olim conditio fuit? JOHANNES GEORGIO I.
PRINCIPLE, qui meditatam diu antè purioris
doctrinæ ruinam prohibens, cum experiretur
fru-

frustrà verbis, ferro patrium cultum restauravit?
quæ deindè Filii fors pietate, justitiâ ac pace lon-
gè inclyti? quæ Fortissimi Nepotis sperabitur,
Heroum simillimæ Sobolis? Non toto non læte-
mur pectore? Sidere exorto, quod vincit tristia,
quod salutem ac felicitatem operatur omnium.
Exceptit nos bonus ac clemens dies, nec pridianæ
tempestatis memoria offendit. Quod labefa-
ctatum, quod corruptum, prostratumq; videba-
tur, in Tuo successionis omine respirat, ac novas
Vires ostendit recepisse. **AUGUSTISSIMUS**
IPSE LEOPOLDUS Majestati Suæ gratula-
tur, ut quæ ejus destructa fuerat columna, abs
Te FORTISSIME PRINCIPUM viderit ful-
ciri. Imperii Romani Proceres excellenti bono
gaudent, & congratulatione tacitâ hoc profe-
quuntur. Nam eundem oris quem præfâgiebat,
gravitas fore, factum esse cernunt, qui cuilibet &
prudentiâ par & virtute, & tantùm non major,
paternum munus administrat, Germaniamq; pa-
triam nostram communem lumine ac ornamen-
to splendidissimo auget, qui Imperatori maximè
acceptus, omnes ab eo benevolentiae honores de-
portavit, qui haud vulgari affectu, cujus Genitor

filius amatus, mirificè diligitur. Undè tantam gloriã ex INVICTISSIMI CÆSARIS affatu & humanitate, gratissimum quã benignè & comiter excepit hospitem, peperit sibi. Et sanè multum aberraret conjecturã, si quis aliundè quàm à divina accesserit liberalitate charitatem illam, nato felicitati publicæ Principi affatim habitam, cujus quantæcunq; molis indoles capax, & curæ in ardua omnia vigiles benè merentur, ut subsidio nostris veniant necessitatibus quæ nocuere, cum mitis mutari cæperit temperies sæculi in formidolosa genera morborum, & locorum vitiata passim efficacia magnam mortalibus minari cladem. Perinde ac Camillus servandæ patriæ fatalis Dux est, quam temporum discrimina vastant, negotiorum ancipitia debilitant. Quæ quum perturbant, alia tamen spes, alius animus hominum, fortuna quoq; alia terrarum nostrarum videtur sospite ac incolumi Vindice nostro, qui prostrata erigit, sanat læsa ac saucia, firmat stantia ac conservat. Adeo unum juxta malum bona duo distribuit hominibus immortale Numen. O Idus Septembres, jam non proventu frugum aut fœ-

cun-

cunditate , sed hoc prosperrimo auspicio , resti-
tutoq; Domino beatiac felices ! O autumnale,
tempus , quo meritò olim hæc universi machina,
omniaq; oblectamenta vitæ & commoda creata
primùm nataq; existimantur , cum eodem hæc
omnia reddita & confirmata nobilissimæ videan-
tur genti ! Optimâ notâ sacrum ejus nomen in ge-
starum comentarios sub commemoratione per-
fectissimi referatur muneris , quòd DEUS ex so-
lemniori operum suorum officina depromens
jactæ jussit alexæ implere fata , quòd gloriæ flore-
re laudibus in arte mandavit , flexus , quæ mem-
brorum dirigit compositè & ad sanitatem utilis
& ad voluptatem. Cujus varium enarraturi ge-
nus , mucroni non concedimus postremas , quem
vibrare & spumantem agitare eqvũ pulchrè cal-
let. Prima talis natura rudimenta posuit , quæ
artificis postea elaborata manu fuit. Deindè ve-
nandi studio & celeritatis usu omnibus longè
præripit gloriam , ut recreet laboriosa sæpiùs ju-
cundis. Undè patet , neq; mundi artificem ei-
dem , quæ decora , nec naturam denegasse. Ea-
dem , quæ moribus nostris conveniunt , Græcis
fuerunt honesta , & operam ipsis dedisse Eume-

D nem

nem relatū legimus, & ALEXANDRUM M.
feras, quando indulfit sibi, deiecisse. Adhæc
crebra peregrinatio accedit transmarina ad Da-
nos, alios similis retentura fortis, si viæ longin-
qvitatē, si periculum ac difficultatē itineris
cogitarent, quæ ipsi futuræ tunc deliciæ & amo-
res Sponsæ prorsus levare videbantur, quæ in-
cenderunt potiùs eum & admoverunt stimulos,
ut approbaret tantò se vehementiùs amare istam,
quò gravioribus suum molestiis caput objiceret.
Qui incredibilis ardor animi excitatissimusq; spi-
ritus tanto deniq; potitus bono, cum socia atq;
rerum magna cognitione remigravit. A quo
tempore Parentis Maximi aliquandiu speculatus
consilia, otio se abdicavit campestri, ut, qui mo-
res belli essent, exploraret, alienasq; agnosceret
leges. Nulla enim ars loco discitur. Itaq; eâ
profectus mente Rhenanas ditiones adiit, Mosæ,
Mosellæ, Mœni Rheniq; superavit alveos, pro-
fundas Danubii supergressus aquas, Cæsaris Pa-
latium invisit. Longum fuerit, omnia, quæ
fecerit, itinera, recensere ac describere seorsim,
quantum experientiæ ac laudis, undiqvaqve
col-


collegerit , retuleritq̄ve. Novimus , nec frigo-
ra ulla , quæ tùm hærebant , nec nives , & quic-
quid hæc præter tentare ejus potuit constan-
tiam , adversum ipsum valuisse , quo persevera-
ret minùs. O quantum inadversitatibus fervo-
rem ! O quantam prudentiæ cupiditatem ! Qui
vitioso turgent humore , perceptam semel liqvo-
ris jucunditatem , majori semper affectant desi-
derio , & haud quidem sedari noxium appetitum
patiuntur : Idem contigit , ut majorem usu ac-
qviret , dulcedine tali propalatâ. Quid tan-
dem ? Donec hic rebus Saxonis moderabitur ,
ut semper in incremento Virtus Principis , ita
semper in profectu fortuna nostra erit. Plura
haud loqvar , cum ipsa Virtus præco locuples
existat. Dabimus vota nos omnes tui subditi ,
preces allegabimus , ut vigeat , **COMMUNIS**
PATER PATRIÆ ! ut valeat diu ! Vigeat
EXCELLENTISSIMA CONJUX ,
vigeat divina **SOBOLES** , vivant **OMNES**
floreant !

Sed Tibi Rex Regum , cujus è bonitate &
clementiâ hoc omne proficiscitur , humiliter

FK 9c 5154

Supplico , ut **ILLUSTRISSIMAM DO-**
MUM incolumen serves à luctu , immunem ,
intactam , ut ex **NATIS** perpetuos nobis **SUC-**
CESSORES præponas felicesq; , qui defen-
dant verum **DEI** cultum , qui tueantur leges ,
qui Civium commodis invigilent . Protege
AUGUSTISSIMAM SAXONICAM
FAMILIAM , in univèrsam omnem ! bonos-
que ac lætos & salutare nostro **PRINCIPI**
conatus suppedita ! ut feliciter gerat inchoata ,
pius **DEO** , pius Suis , pius univèrsæ Germa-
niæ . Vox una omnium est simplex , candi-
disimâq; , **SALUS PRINCIPIS** ! orne-
tur caput ejus Sapientiâ , pectus fortitudine , ro-
bore indefatigato manus , conscientia timore ,
ac amore Dei , animus justitiâ . Rempublicam
civilem literariamq; magnâ fortunarum parte
imminutam felicissimè restituat ! **NEPOTES**
videat , imperio superfit florens diutissimè , mi-
raculis Avitis dignus **PRINCEPS** ,
dignus gloriâ memoriaq;ve
posterorum .

DIXI.



ML

D.
m,
C-
en-
es,
e
M
os-
PI
ta,
na-
di-
ne-
ro-
e
in
te
S
ni.
gij
roff

ULB Halle 3
003 289 427


VD 17





h. 4, 20.

V
5154

Q. B. V.

Fasces Summos Imperii

auspicatissimè capeffentem,

SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM

PRINCIPEM AC DOMINUM

DN. S.

GE

SAXONIAE,

TIUM DUC

LUM ET E

THURINGIAE

UT ET SUPER

TIÆ, BURG

MITEM PRI

BERGICUM

BERGI

R.

DC

Pa

ANNO

IN

FRIDERIC

INEM

M III.

Æ AC MON-

IMARESCHAL-

ANDGRAVIUM

LUM MISNIAE,

RIORIS LUSA-

DEBURGI, CO-

LATIS HENNE-

RCAE, RAVENS-

NASTAM IN

&c. &c.

UUM

M,

hoc

. EID. FEBR.

ARCEM

TO,

est

BEICHLINGEN,

EQVES TURING.



WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

